



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 91. Varia Reformationis Decreta ab Augustanis Duumviris executioni data.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII. ptatum *Interim* cives Augustani in Re-  
 A. C. 1630. ligiosa pace non erant comprehen-  
 siverunt, nec jus mutandæ Religionis ha-  
 buerunt, nec eorum consensus ad  
 pactum de anno 1582. necessarius  
 fuit. Tandem Elector epistolæ suæ fi-  
 nem imposuit, Cæsarem rogans, qua-  
 tenus Lutheranis civibus Augustæ pu-  
 blicum Augustanæ Confessionis exerci-  
 tium reddere, ac reformationem in-  
 ceptam abrogare velit: Pariter Mo-  
 guntino & Bavaro Electoribus die vi-  
 gesima septima Martii hoc negotium  
 impense commendabat.

## §. XCI.

*Varia Reformationis decreta ab Au-  
 gustanis Duumviris execu-  
 tioni data.*

*Acta re-  
 form. vel.  
 Aug. Conf.*

Urgente Cæsaris mandato, haud  
 consultum erat, Saxonicae hujus  
 deprecationis successum præstolari.  
 quocirca Duumviri, quibus Cæsaris  
 edicti executio erat demandata, die  
 vigesima quinta Aprilis Eleemosynarum  
 Curatoribus injunxere, ut intra qua-  
 tuor hebdomadarum spatium vel Ca-  
 tholicorum Ecclesias frequentent, ve-  
 suis cedant officiis, nec deinceps ad  
 colligendas Eleemosynas Lutheranum  
 ante



ante Ecclesiarum fores constituant, Sæc. XVII.  
A. C. 1630.  
cum cives Catholici propterea ab Ec-  
clesiæ ingressu deterreantur: Sequenti  
autem die Duumviri Orphanotropii Cu-  
ratoribus præceperunt, ut singulis die-  
bus festis ac Dominicis mane ad rem  
sacram, & vespere ad Catechesin Catho-  
licam Orphanos deducerent, domique  
adultioribus, famulisque carnes in  
diebus vetitis non apponerent: Accepto  
hoc mandato Curatores Lutherani con-  
scientias suas lædi caussantes, iterato  
declararunt, quod hisce jussis morem  
gerere haud possent: ut vero Orphan-  
torphi Cæsareum mandatum eluderent,  
ex Orphanis quosdam vel ad suorum  
Parentum ædes, vel ad alia extra ur-  
bem loca deduxerunt, aliisque ex or-  
phanotropio clam excedendi facultatem  
dedere: quo comperto Duumviri hosce  
Orphanos suo loco restitui jusserunt,  
inde vero mota seditione cives, alique  
utriusque sexus incolæ Lutherani pro-  
xima die Dominica in platea, quæ a  
Pistoribus nomen habet, magno nu-  
mero confluxere, effusisque convitiis  
& minis sese Cæsareis mandatis, ac  
Senatus decretis petulantius opponere  
ausi sunt, tempestive tamen dissipato  
rebellium agmine Senatus tumultuarios  
ejusmodi concursus indictis severissimis  
pœnis inhibuit. Postquam vero Petrus  
T 4 Mei-



Sæc. XVII. Meiderlin Annæi Collegii Oeconomus  
A. C. 1630. ob gravissimum crimen ultro & clam  
 auffugerat, hinc Duumviri hujus Col-  
 legii Administratoribus die vigesima  
 quinta Julii injungere, ut suæ admi-  
 nistrationis rationem redderent: altera  
 die alium Oeconomum Religione Ca-  
 tholicum Collegio præfecere, conse-  
 cutoque utensilium indice, occlusaque  
 Bibliotheca Scholares, ut debitum  
 novo Oeconomo obsequium præstarent  
 adstrinxere. Inde vero novum que-  
 rendi argumentum; vociferantur ergo  
 Lutherani, vel expectandum esse Mei-  
 derlini reditum, vel alium subrogandi  
 jus legitime constitutis Collegii Admi-  
 nistratoribus relinquendum, eoquod  
 præfatum hoc Collegium juxta Fun-  
 datorum mentem primum ante quin-  
 quaginta annos unice pro Augustana  
 Confessionis Cultoribus dicatum esset  
 eapropter Lutherani non Oeconomus  
 sed potius cuidam ancillæ Lutheranae  
 pecunias expendendi curam demanda-  
 runt. Nihilominus Duumviri, cum  
 hoc Collegium ad solos Catholicos con-  
 stringere haud intendissent, in ceteris  
 omnino Cæsareo mandato parendum,  
 ac proventuum rationes necnon reliqua  
 Collegii bona Cæsareis Deputatis con-  
 signanda esse die decima quarta Septem-  
 bris decreverunt.